

Jacob Fabricius Johannes Mellinger


**De Peripneumonia Disputationem, Ex decreto & conceßione Amplißimae
Facultatis Medicae In inclyta & antiqua ad Varnum Academia, Sub Praesidio ...
Dn. Jacobi Fabricii, Doctoris Medic. ... Publice examinandam proponit Johannes
Mellinger Hildesheimensis, Ad diem XXI. Augusti, Anno XXVIII. ...**

Rostochi[i]: Pedanus, [1628]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74256536X>

Druck Freier  Zugang






F. J. 105
F. J. ~~105~~. XXVIII

Ma-3835¹⁻²⁶



1007



8 21
Quod Deus Opt. Max. benè vertat,

DE

PERIPNEU- MONIA

DISPUTATIONEM,

*Ex decreto & concessione Ampliſſimæ Facul-
tatis Medicæ*

In inclyta & antiqua ad Varnum Academiâ,

SUB PRÆSIDIO

Clariſſimi, Excellentiſſimi & Experimentiſſimi

VIRI,

DN. JACOBI FABRICII,

Doctoris Medic. & Practici celeberrimi, Archiatri Me-
gapolitani, Superiorum Mathematicæ & Medicinæ Professo-
ris publici & primarij, ejusdem Facultatis DECANI spe-
ctabilis, Præceptoris ætatem ſuſpiciendi,

Pro impetrandis in Arte Medica pri-
vilegijs & honoribus Doctoralibus,

Publicè examinandam proponit

JOHANNES MELLINGER

HILDESHEIMENSIS,

Ad diem XXI. Auguſti, Anno XXVIII.

In Auditorio Majori, horis ante & pomeridianis.

•••••

ROSTOCHI

Typis ſuis exſcripſit JOACHIMUS PEDANUS, Acad. Typ.



Clarissimo & Excellentissimo
VIRO,

DN. JOHANNI MELLINGERO
Med. Doctori, & florentissimæ Rei-
publicæ patriæ Hildesianæ Physico
ordinario, patri suo æter-
nùm honorando,

Disputationem hanc
Inauguralem

Ex debito consecrat

Joannes Mellinger.



VIRO

CLARISSIMO, ET PRÆSTANTIS-
SIMO,

DN. JOANNI MELLINGERO,

Medico Excellenti, amico & Convictori suo in-
signiter amando & colendo,

SUMMUM DOCTORATUS MEDICI

titulum maximo suo merito assumenti,

Ex animo gratulatur

PETR. LAUREMBERG, Phil. & Med.

D. & Profess. P.

Qualis cruento mistus olim pralio,
cum miles hosti objecit intrepidum latus,
tandem acer armis, fortiorq; dexterâ
refert triumphum Victor inclitus domum:

Talis vir alta mentis, Ingeni potens,
& dulce MELLINGERUS, & rarum decus
suaq; gentis, totiusq; HILDESIAE,
postquam labore pertinace sat diu,
sat strenuo almo militavit Delio,
se-que ad recessus abditos Coi senis,
ad sacra Pergamei penetravit ducis,

A 2

& sape

Et saepe doctis dimicare vocibus
acieq; mentis, olim in HELMO auditus est;
(HELMO erudito! cujus alta gloria,
Et fama nullo non superstes seculo,
queis aether ipse continetur terminis:)
postquam in ROSARUM hoc publico Palladio,
certamen acre Iatricum cernens, super
laboriosa Pneumonis pericula,
duxit trophaea pulcra ab hostica manu.
Nunc ille MELLINGERUS aeternum sibi
nomen domum reportat, ac adorem,
cinctus caput superbiente purpura,
Ille impiger gnarusq; morborum greges,
dispellere agris artibus mortalium,
navulo Charontem fraudat, Orcum Manibus;
Animisq; in integrum afferens domos suas
vita simul dispensat ac sortem necis.
Non audit ille celsior, nec justius
inter meretur ceteros praconium,
qui bellicam confecit hostem dexteram,
civemq; de Fati reduxit limine,
quam qui laborantem mala agritudine
retraxit atra ex faucibus mortis virum,
Et sanitati vindicavit pristina;

DE



De PERIPNEUMONIA,

THESIS I. *πνεύμων*



Ulmo, Græcè *πνεύμων*, à spiritu appellatur, est enim præcipuum & necessarium instrumentum respirationis. Hac ratione & attrahendo sibi non raro malum accersit, & materias exclusas ab aliis partibus facillimè accipit, eoq; fit, ut sæpè gravissimis morbis implicetur, inter quos non postremum locum obtinet Peripneumonia. Hæc græcis alio nomine dicitur, *πλευμονίς Hipp.*

πνεύμωνιον Cornel. Cels. lib. 4. cap. 7. πνεύμωνία Isidorus & Dioscoridi lib. 3. cap. 52. Vulgariter Pulmonia vel Pulmonaria, quibusdam Peripleumonia, German. Lungenfuch; appellatur, idque à laxa particula, sive instrumento patiente. Galen. 2. method. med. cap. 2. & 1. ad Glauc. cap. 3.

I I.

Definitur communiter Peripneumonia, quod sit inflammatio pulmonis, cum febre acuta, difficili respiratione, atq; maxillarum rubore. *Galen. 4. de loc. affect. cap. 8. & passim alibi. Paul. Ægin. lib. 3. cap. 30. Aët. lib. 8. c. 66.*

III.

Inflammationis vocabulum æquivocum est. Propriè est ille tumor, qui rubet, calet, dolet, atq; renititur cum distentione, ex solo sanguine proveniens. Generatim reliquas etiam species complectitur, & latissimè ex omni humore generatur. *Galen. lib. 2.*

A 3

ad Glauc

*1) ΠΕΡΙΠΝΕΥΜΟΝΙΟΝ
2) ΠΕΡΙΠΛΕΥΜΟΝΙΑ
3) ΠΛΕΥΜΟΝΙΣ*

ad Glauc. cap. 1. & lib. 13. method. med. cap. 1. Constat ergo ex sequentibus inflammationis vocabulum in definitione non tantum in priori, sed & posteriori significato accipiendum.

I V.

Differentis reliquis prætermisissis, contenti sunt illis, quæ desumuntur à subjecto, toto vel parte, & causis, sanguine scilicet, pituitoso, vel bilioso, aut alterius generis.

V.

Hæc modò oritur per se, sive primariò, ubi pulmo nullo præcedente aliquo alio evidenti morbo inflammatur: modò secundariò, quæ aliis succedit agritudinibus, ut deficientibus mensibus, suppressis hæmorrhoidibus, catarrho, angina, pleuritidi & aliis morbis.

V I.

Locus affectus absq; dubio est pulmo. Utrum autem totum ejus corpus sit affectum, an verò partes tantum, discrepantes sunt autorum sententiæ. *Diocles* solas venas; *Erasistratus* arterias; *Herophilus* arterias & venas simul, *Aselepiades* bronchia tantum; *Celsus* integros pulmones, alij istorum partes affecti existimarunt.

V II.

Verùm rationi consentaneum esse videtur, rarò statim in principio totum corpus pulmonum, sed unam vel alteram partem solùm inflammari, & successu temporis etiã cæteris & consequenter toti communicari, id quod sæpissimè contingere docet experientia.

V III.

Causa immediata & continens est humor quivis, *Galen. 6. aphor. 33. 2. de loc. affect. cap. 9. & aliis infinitis in locis. Avicenn. lib. 3. F. 10. tract. 4. cap. 10.* non sincerus, cum affectus sit inflammatorius, *Galen. lib. 2. de loc. affect. cap. 9.* sed sanguine permistus.

I X.

Prout autem sanguis iste vel est purus, vel cum reliquis humoribus permistus, ita etiã denominationem accipit: & nunc *Φλεγμονη* exquisita, nunc *Φλεγμονη ερυσιπιλαϊωδης, οϊδηματωδης* &c. appellatur. *Galen. 2. cris. 12. 2. ad Glauc. 1.*

Magis

X.

Frequenter verò inflammatur ex pituitoso sanguine, quò in tam raro, laxo, & undique vacuo pulmonis corpore herere potest: rarius ex bilioso, *Avicenn. lib. 3. F. 10, tract. 4. cap. 10.* rarissime ex Melancholico. Et hi vel à toto & pleno aut cacochymò fluunt corpore, vel ejus parte præter naturam adfectâ.

XI.

Cujus sententiæ patrocinium suscipit *Galen. in comm. ad 8. aphor. 33. 2. de loc. affect. cap. 9.* ubi discrimen inter Pleuritidem & Peripneumoniam constituit: Non æque, dicens, membranæ costas succingentes atque pulmo, sunt natura aptæ humores suscipere: densa siquidem est membranarum substantia, pulmo verò omnem in partem rarus & latus. Quare & facillè pituitosos & crassos suscipit, membrana verò succingens biliosos potius admittit.

XII.

Notat *Fernel. lib. 5. de part. morb. & symptomat. cap. 10.* pulmones interdum ex tenui acriqùe catarrho laborare, in quo & tussis, & spirandi difficultate, & lenta febre sensim conficitur æger, sine ulcere & exspuitione cruenta. Sed de exquisita hic nobis potissimum sermo est.

XIII.

Ad causas mediatas & antecedentes refertur humorum multitudo, in omnibus totius corporis membris contenta, ad fluxum disposita, atq; à facultate expultrice valida transmissa, rursusq; à pulmone, intemperie aliqua laborante aut attracta, aut ob ejus imbecillitatem recepta. *Galen: 13. method. med. 3.*

XIV.

Quorsum facit omne id, quod pectoris partes mordere ac vellicare, & fluxiones commovere, inq; pulmones sua natura rarios, latusq; & molli substantiâ præditos, adeoq; humoribus suscipiendis aptos, ablegare peccantem materiam potest.

XV.

Neq; enim parvam occasionem præbent procatarticiæ causæ, seu primitivæ & præincipientes appellatæ, ex quibus primæ

mum sibi vendicat locum frigus intensissimum, præsertim quod australi ac tepido succedit aëri: unde docente *Hipp. Sect. 3. aphor. 23.* hyeme pleuritides & peripneumonix accidunt. Maximè etiam nocivus est hibernus aër crassus, multisq; vaporibus infectus, pulmonis meatus obstruens.

XVI.

Huc quoque referri potest, æstus, cibi, potus, & medicamentorum impensè calidorum frequentior usus, motus intempestivus & vehemens, subita ex calore quovis in frigidum permutatio, vomitus post crapulam, vel ebrietatem violenter excitatus, clamor nimius, item suppressiones mensum & hæmorrhoidum, in summa error quivis in sex rebus non naturalibus commissus, aptus calefacere pulmones, ipsisq; inflammationem incutere. Sunt & qui à venenis causam petunt, quorsum refertur lepus marinus, qui scribente Gal. pluribus in locis pulmonem occultà proprietate exulcerat.

XVII.

Signa Diagnostica secundum *Hipp. lib. 3. de morb.* potissimum sunt: Difficilis respiratio, adeò ut laborantes præ angustia suffocari videantur, & erecti sedere cogantur. Spiritus frequens est & calidus, maximè si erysipelatis particeps fuerit inflammatio. Quocirca ubi plurimum efflant, juvari videntur: ac multum aërem frigidum attrahere concupiscunt. *Galen. 2. de loc. affect. cap. 9.*

XVIII.

Febris continua atq; acuta est. *Galen. 4. de loc. affect. cap. 8.* eum cor ob vicinitatem & communionem vasorum plurimum patiatur, & ea quidem vehementior à bilioso sanguine, quam à pituitoso. *Fernel. lib. 5. de part. morb. & symptomat. cap. 10.*

XIX.

Dolor non vehemens *Galen. 4. de loc. affect. c. 8.* sed cum ponderis aut gravitatis sensu, qui ad pectoris sternon & dorsi spinam usque non rarò extenditur, ubi membrana pulmonem ambientes suspenduntur, & pleura cum pulmone, mediante aspera arteria, communionem quandam acquirit *Galen. 2. de loc. affect. cap. 9.*

Pulsus

XX.

Pulsus adest magnus, languidus, mollis ob pituitam & pulmonis laxitatem, & quandoque dicrotus seu bis feriens, ob usum vehementer auctum cum magnâ arteriarum compressione: *Galen. 4. de caus. puls. cap. 12.* Tussis assidua est, initio sicca, deinde ejecta sunt varia, modò cruenta ac florida, modò flava aut rufa, modò nigra & livida, pro ratione diversi humoris inflammationem causantis. *Galen. lib. 2. de loc. affect. cap. 9. in comm. ad 6. Sect. apbor. 33.*

XXI.

Præterea malæ velut inflatæ rubent, *Galen. 1. de loc. affect. cap. 5.* ob sanguinem pulmonis, tenuem regurgitantem in partes superiores, in quas subinde velut igneus quidam fervor aspirat, sæpè ex toto corpore, ut *Galen. docuit 1. de loc. affect. c. 3.* Lingua sicca est, primò ex flavo rubescens: deinde succedente morbo tumida & nigra redditur. *Avicenn. lib. 3. F. 10. tract. 4. cap. 11.* Venæ temporum grandescunt, oculi intumescunt. *Aër. lib. 8. cap. 66.* Accedunt hûc pectoris gravitas, anxietas, deliriû, lethargus, quandoq; continua vigilia, sitis, quæ tamen frigidi aeris inspiratu potius, quam potu mitigatur. *Cornel. Cels. lib. 4. cap. 7.*

XXII.

Ab aliis vicinis sibi affectibus præsertim pleuritide, cui valdè similis est, discriminatur signis propriis Pathognomonicis, quæ *Galenus in lib. contra Empir. cap. 6.* recenset. Febris enim acuta, spirandi difficultas, velocitas & angustia, tussis & sputum coloratum, communia hæc sunt utriusq; signa.

XXIII.

Distinctiva & magis propria sunt, dolor non pungitivus, sed gravativus, ponderosus, quiq; maximè tempore expuitionis animadvertitur, arteriarum pulsus haud durus sed mollis. Tussis longè vehementior, respiratio major & difficilior, ast minori cum dolore. Maxillæ & oculi magis rubentes & intumescentes sunt, quàm in pleuritide: *Enflach. Rud. lib. 1. Pract. cap. 48 Capi-vacc. lib. 2. Pract. cap. 5.* in summâ hîc symptomata multò graviora deprehenduntur, quod ut plurimum pleuritide sit periculosior, peripneumonia. Ab angina distinguitur, quod hæc difficultatem

B

tem

rem respirationis cum stertore & magna deglutiendi difficultate,
& alia signa anginam demonstrantia habeat. Ab asthma, quod
febri careat, dolore & genarum rubore, sitq; expers delirii.

XXIV.

Signa causarum, quando expuant ægri, à variis & diversis
sputi coloribus depromuntur. Si rubrum fuerit, sanguinem: si
flavum, rufum aut pallidum, biliosum sanguinem: si spumosum
aut candidum, pituitosum: si nigrum aut lividum, melancholi-
cum, inflammationis causam esse significabit. *Galen. 2. de loc. af-
fect. cap. 9. in comm. ad 6. aphor. 33.*

XXV.

Si nihil expuant, ex aliis conijcere oportet, ex majori vel
minori calore, seu incendio thoracis, ac gravitatis sensu, tempera-
mento, ætate, regione, anni tempore, aëris constitutione, præce-
dente victus ratione ac consimilibus. *Eustach. Rud. lib. 1. Pract.
cap. 48. Pis. lib. 2. Pract. cap. 8. Mercurial. lib. 2. Med. Pract. c. 7.*

XXVI.

Videamus Prognostica. Hoc genus morbi, inquit *Cor-
nel. Celsus*, plus periculi quam doloris habet, & plerumque in
calamitatem abire solet. *Galen. 10. meth. med. 5.* Unicam spem
salutis agnoscit *Galenus* virium robur. Respirationis facilitas ma-
ximum indicium est salutis in peripneumonia. *Hipp. & Galen. 1.
prognost. 25.*

XXVII.

Senibus est lethale malum, *Hipp. & Galen. 2. prognost. 69. &
longè funestius ipsa pleuritide. Hipp. lib. de loc. in homin.* Si spu-
ta sint probè cocta, permixta, atq; aliis optimis conditionibus præ-
dita, facile, id est, citò, liberè & liberaliter, prodeant in principio
morbi, salutaria sunt: *Hipp. & Galen. 2. prognost. 43. 44.* Neq; ma-
lum est sputum, quod cruentum, proximum ab hoc flavum mo-
dico cruore admixtum: flavum sincerum utpotè omninò bilio-
sum deterius: viride aut nigrum, deterrimum. *3. prognost. 46.
47. 48.*

XXVIII.

À bile periculi plena est hæc affectio. *Avicenn. lib. 3. F. 10.
tract. 1.*

*tract. 4. cap. 10. Eustach. Rud. lib. 1. Pract. cap. 48. & citissime ac ferè
semper hominem tollit. Pis. lib. 2. Pract. cap. 8. Qui ex angino-
sis fiunt peripneumonici, intra septem dies moriuntur: quod si ab
illis superstites evaserint, fiunt suppurati. Sect. 5. aphor. 10. Item
peripneumonia à pleuritide, malum. Sect. 7. aphor. 11. Malis
etiam annumerantur vigilæ, phrenitis & paraphrenitis mentem
perturbantes, atq; extremarum partium frigiditates: quibus enim
hæc accidunt, quarto aut septimo, moriuntur. Aët. lib. 8.
cap. 66.*

XXIX.

Verùm de morbi cognitione hæc sufficiant. Curatio, ut morbi
omnis, ita etiam peripneumoniæ tribus veluti capitibus seu in-
strumentis perficitur. Diætâ, chirurgiâ, & pharmaciâ. Diætæ
magnam curationis partem referimus acceptam, sine quâ vix ac
ne vix quidem, ullus morbus alicujus momenti, docente *Dodon.*
lib. 1. prax. cap. 2. existit curabilis.

XXX.

In diætâ igitur, quæ in rectâ & legitimâ sex rerum non na-
turalium administratione consistit, viclus, cum morbus acutus,
sit paucus & tenuis. *Sect. 1. aphor. 7.* Si inflammatio magna, ha-
bitâ tamen maximè virium ratione, tenuissimus. *Sect. 1. aphor. 6.*

XXXI.

Hippocrates passim in hoc morbo ptisanâ utitur. Tem-
pore autem *Hippocratis* ptisana erat simplex. *Galen*i ævo medica-
mentosior. Hodie pro cujusq; intentione plura incoquantur,
ut glycyrriz. hyssop. capill. vener. passul. corinth. Sem. anis. Flor-
tussilag. violar. qualia in plerisq; Practicorum libris copiosissime
describuntur.

XXXII.

Cum autem nostri homines illam Hippocraticam inediã
non ferant, & aliis ciborum generibus assueti sint: nos contra
Galenum & *Hippocratem*, ex cujus præscripto regioni & consue-
tudini aliquid dandum, *Sect. 1. aphor. 17.* non peccamus, si nostris
ægris nonnunquam, præsertim cessante jam fluxione, & sputo ap-
parente laudabili, ova sorbitia, teste *Cornel. Celso.* itè sorbitiunculam
ex pane,

ex pane, saccharo & butyro cum cerevisia leviter coctam, passula
leviter coctas cum saccharo, mala dulcia assata, vel decocta, & sac-
charo cand. conspersa, juscula pinguia gallinarum, carnes expres-
sas, & alia ejus generis, consummata & restaurantia, pro vehemen-
tia morbi & temporibus varianda, offerimus, & quidem sapius
de die, ac in parvâ quantitate, ne ex cibi copia intumescens ven-
triculus, difficultatem anhelitus, adaugeat: cavendum ab acri-
bus, salsis, amaris, itemq; acidis & astringentibus.

XXXIII.

Potus modicus sit, humiditas n. nimia, *autore Aretæo*, est noxia
pulmoni: Sit aq. hordei, in qua parum glycyrrhizæ fuerit decoctû.
Inclinante morbo detur tenuior cerevisia. A vino abstinendum.
Capivacc. lib. 2. Pract. cap. 5. Rondelct. lib. 2. method. curand. morb. cap. 10. Omnia actu frigida fugienda sunt: Frigidum enim pe-
ctori inimicum, tusses movet, destillationes efficit. *Secl. 5. apbor. 24.* Nequæ tamen calida omninò sint, sed tepida, aut quæ frigi-
ditate perfracta ad teporem paulisper accedant, quibus saccharum
vel syrup. violatus, aut alius pro re natâ utiliter immiscetur.

XXXIV.

Præscripta & constitutâ diætâ, ad Pharmaciâ & Chirurgiam
deveniendum est, quod hujus beneficio sanguis, ne vel ad locum
affectum copiosius confluat, vel ab ipso attrahatur, evacuetur:
Galen. 13. method. med. 2. & 6. 2. ad Glaucon. 2. istius verò, corpus
pluribus scatens humoribus, per loca convenientia, juxta *apbor. 21.*
Secl. 1. purgetur.

XXXV.

Venæ sectio igitur, quam omnes suadent, excepto Asclepia-
de, modò vires consent, & aliud nullum occurrat impedimen-
tum, statim in principio instituenda, ac quâ fieri potest modera-
tione prudenter exercenda, & quidem ex venâ brachij, aut dextræ
aut sinistri, aut utriusq; *Acæ. lib. 8. cap. 66. Eustach. Rud. lib. 1. Pract. cap. 48. Bald. Rons. in annot. ad Cornel. Cels. lib. 4. cap. 7.* & id unâ
aut repetitis vicibus, satis adhuc vegetis & constantibus viri-
bus.

XXXVI. Ia.

XXXVI.

In feriendâ venâ solliciti sunt Auctores: *Capivaccius* & alij ex Rhase tundendam existimant basilicam; *Mercurialis*, medianam. Verùm nihil refert, modò hæc, modò illa, hoc in casu aperiatur, cum ex uno omnes fonte promanent, quod & *Galeno* 13. *method. med. II.* visum, qui illam, quæ magis patet, aperiendam censet.

XXXVII.

Cum verò morbus hic aliquando fias manifestas habeat accessiones, expectanda erit ejus remissio. Nam ut *Cels. lib. 2. cap. 10.* monet, quando vehemens febris urget, in ipso impetu ejus sanguinem mittere, hominem jugulare est. Quando verò non speratur remissio, quovis tempore, ex quacunque causa, ac quovis modo etiam genita sit peripneumonia, præterquam quæ aliis morbis est succedanea, vena incidenda: præceptum enim occasio. *Sec. I. aphor. 1.*

XXXVIII.

Ubi per virium imbecillitatem hoc præsidio non liceat uti, *Paul. Cornel. Cels. Donat. ab Altomar. & alij* thoraci undiq; cucurbitulas cum scarificatione admovere jubent.

XXXIX.

Verùm *Galeni* præceptum est perpetuum. Universalia præmittenda particularibus. Ergò hoc in principio morbi nunquam faciendum, priusquam totum corpus evacuatione convenienti probè sit purgatum: non potest n. non fieri, quin cucurbitulæ, haut præevacuata multitudine, & imminuta materia, circa locum affectum positæ, ab universo corpore humores attrahant, inflammationemq; eo modo augeant.

XL.

Fidem hujus rei nobis facit *Galen. II. method. med. 17. & 13. cap. 19.* dum inquit, cucurbitula ijs utiliter, qui inflammatione pulmonis laborant, si prius sint evacuati, applicabitur: Si verò abundantia succorum (quam vocant Plethoram) in his sit, non

B 3.

magis

magis ex pulmone in pectus aliquod excrementi transfert, quam
ex toto corpore attrahit in utrumque.

XLI.

Insensibiliter quoque revellunt cucurbitulae siccae: Nam
dicit *Aretaeus*, solamen praebent, spiritibus foras evocatis, quibus
pulmo opprimitur: profunt ligaturae externarum partium, ear-
undem frictions, ac similia auxilia à Prædicis commendata.

XLII.

Seçtâ venâ, nisi morbus mitescere videatur, purgantia medi-
camenta non sunt præmittenda, præsertim ubi *Seçt. 1. apbor. 22.*
corpus viciosis succis scatet, & recrementis plenum apparet. Vi-
rium tamen ratio semper ineatur, nec humores commoveantur
aut agitentur nimium. *Seçt. 6. apbor. 16.*

XLIII.

In eligendis itaq; catharticis, quibus saburra corporis educatur,
solicitus sit medicus, ne dum astrictâ alvum solvit, eâ plus justo re-
laxet, corpusq; turbatû periculosa subijciat diarrhoeæ: nos mitio-
ribus & benedictis vocatis medicamentis: ut Cassiâ, mannâ, syrup. vio-
lat. & rosat. laxat diaprun. simplic. diacathol. elect. lenitiv. cû pauco
Rhabarbaro & similibus, pro humoris peccantis diversitate, cum
decoctis pectoralibus, utemur; quibus dextrè exhibitis, sputi mo-
tus non inhibebitur: id quod diligenter curandum *Hipp. lib. 3.*
de morb. præcipit. Et ista tantò audacius propinabuntur, quantò
febres & obscuriores, & dolores mitiores fuerint.

XLIV.

His admissis, ex præscripto *Galen. 13. method. med. 6.* ad illa,
quæ sputum promovere possunt, nos iterum convertere debemus:
quæ tamen secundum morbi tempora, prout materia vel cruda,
aut magis minusq; cocta est, summâ cautione præscribenda er-
unt.

Para-

XLV.

Parabilia sunt in Officinis Sacchar. penid. Syrup. violar. de Jujub. Syrup. Capill. vener. de tusfilagin. hyssop. glycyrrhiz. & similia Rotularum aut morsellorum formâ parata, quæ omnia expectorationi dicata, eò sine præscribuntur, ut absque insigni contentione molestiæ expectorandum procedat.

XLVI.

Hinc pro ratione materialis causæ, si illa tenuis & acris sit, & à facultate expultrice sublevari commodè non potest, incrassantibus primo loco nominatis, utimur: Ut syrup. de jujub. de papavere, quibus & utiliter additur syrup. de succo viol. quando sputû biliosius & flavum apparet. Si pituitescat materia morbifica, exhibendi syrupi, qui citra evidentem calorem incidendi & attenuandi vim habent: uti est syrup. ex capill. vener. cui etiam aliquid syrup. de glycyrrhizâ admiscere utile fuerit.

XLVII.

Medicamentis etiam externis, pectori calidè applicandis, spiritum promoveretur. Fetus, qui thoracem leniunt atque dilatant, dolorem sedant & humores moderatè resolvunt, conveniunt. Parantur ex rad. alth. malv. lilior. alb. viol. sem. lini. fœnugrac. floribus Chamomil. melilot. & similibus in aq. decoctis.

XLVIII.

Jdem obtinemus linimentis, quæ ex oleo amygdalar. dulcium. camomill. adipe gallinac. butyro insulso aut loto, mucagine rad. alth. sem. lini, & si febris valdè acuta, admisto ol. violac. & similibus, componuntur.

XLIX.

Næque omninò reiciimus in hoc affectu Cataplasmata, ex rad. alth. aneth. violar. farin. hord. fœnugr. sem. lini & simil. admixtis, si opus fuerit, ol. viol. camomill. amygdal. dulcium, confecta, nisi suæ substantiæ crassitie cutem nimis obstruant, & caloris diffilationem impediunt, vel & suo pondere thoracis motum difficiliorem reddant.

L. Ab-

L.

Abstinendum autem à nimis adstringentibus, uti præcipit Galen. ii. *method. med. cap. 17.* Illa enim cum materiam intro agant, & altius infigant, pro peripneumoniâ suffocationem gignent, quod foras trahere potius, quam reprimere in hoc affectu debeamus.


L I.


Symptomatum quoque, quæ morbum hunc comitantur, habenda est ratio, ex quibus si præsens periculum ægro imminet, de his corrigendis vel submovendis medicus omni conatu cogitabit. Et tantum in genere de curatione peripneumoniæ impræsentiarum dixisse sufficiat. Plura & speciatim uniuscujusq; causæ remedia, ex libris Practicorum, qui innumera proponunt, potantur.


COROLLARIA.


1. *An magnus simul & languidus in peripneumonicis sit pulsus? A.*
2. *An ova nutriendis peripneumonicis utilia? A.*
3. *An vinum peripneumonicis conveniat? N.*
4. *An nostri seculi homines debiliores sint antiquis? N.*


Summo Medicinæ & omnium bonorum Largitori soli gloria.














XLV.

Parabilia sunt in Officinis Sacchar. penid. Syrup. Jujub. Syrup. Capill. vener. de tusfilagin. hyssop. glycymlia Rotularum aut morisellorum formâ parata, quæ pectorationi dicata, eo sine præscribuntur, ut absque intentione molestiæ expectorandum procedat.

XLVI.

Hinc pro ratione materialis causæ, si illa tenuis & à facultate expultrice sublevari commodè non potest, in his primo loco nominatis, utimur: Ut syrup. de jujube, quibus & utiliter additur syrup. de succo viol. quæ biliosius & flavum apparet. Si pituitescat materia moribendi syrupi, qui citra evidentem calorem incidendi vim habent: uti est syrup. ex capill. vener. cui etiam syrup. de glycyrrhizâ admiscere utile fuerit.

XLVII.

Medicamentis etiam externis, pectori calidè applicatum promoveretur. Fetus, qui thoracem leniunt atque dolorem sedant & humores moderatè resolvunt, convenerantur ex rad. alth. malv. lilior. alb. viol. sem. lini. floribus Chamomil. melilot. & similibus in aq. decoct.

XLVIII.

Idem obtinemus linimentis, quæ ex oleo amygdal. camomil. adipe gallinac. butyro insulso aut loto, muc. alth. sem. lini, & si febris valdè acuta, admisto ol. violæ, componuntur.

XLIX.

Nèque omnino reiicimus in hoc affectu Cataplasma rad. alth. aneth. violar. farin. hord. sænugr. sem. lini mixtis, si opus fuerit, ol. viol. camomil. amygdal. dulc. etia, nisi suæ substantiæ crassitie cutem nimis obstruant, distillationem impediunt, vel & suo pondere thoracis motum reddant.

